

Immeritum , nec dura diu fortuna manebit .
 Exurget sortis solamen grande paternæ
 Ingens humanæ gentis decus , atque hymeneis
 Succrescit Gnata , O roso quæ gratia vultu ,
 Quæ pietas animo , & sapientia mente sedebit !
 Non illi se pulchra Venus , non docta Minerva
 Anteferat , summo non quidquid in æthere fulget .
 At dominam (cernis ?) qua Regius alluit urbem
 Sequana , quos populos quantus regit , atque per omnes
 Extendit famam terras , Cœlumque per altum ,
 Ille quidem & Superis par immortalibus Heros ,
 Haud impar proavo pronepos jam surget , & ingens ,
 Excipiet puer imperium , longosque per annos
 Grandibus auspiciis gentem reget : arma per omnem
 Deducet late Europam viætricia , fines
 Proferet imperii , regnumque augebit avitum .
 Scilicet ingentem huic Puerο conjungere Gnatam
 Est animus : magnam celso Regina per urbem
 Se curru seret ; ac regalia sceptra gerentem
 Regali subito Genitor diademate cinctam
 Cernet , & oh tacito quæ gaudia corde fovebit !

Quid vero optatum cum surgere deinde nepotem
 Adspicit ; tantique suo de sanguine regni
 Hæredem & patria , & Mundo plaudente creatum ?
 Quid cari gnatos , aliumque , aliumque nepotis
 Cum fausto exortos de germine cernet , ut ingens
 Qui regat imperium , & tantas moderetur habenas ,
 Sit de stirpe sua , dum celsam Regia frontem
 Eriget urbs Cœlo , dum Sequana volvet in æquor
 Felices undas : vastos dum Gallia fines
 Alpibus hinc gelidis , hinc nubifera Pyrene ,
 Hinc Rheno : hinc tumidis ponti tutabitur undis .
 Hæc animo auderes tibi fingere ? Jupiter , omnes
 Qui regit imperio terras , qui fata coercet ,
 Jupiter ipse tuo hæc juvæ tamen omnia spondet .
 Nec satis : his etiam longe majora parantur .

Vc-